

CASUS

DE CONTRITIONE ET PROPOSITO

SEU

De contritione in Sacramento, et extra Sacramentum; de intensitate doloris; de proposito.

CASUS I.

CONTRITIO EXTRA SACRAMENTUM.

GETULIUS, patrato peccato mortali, per tres menses in hoc infelici statu permansit. Tandem, remordente conscientia, ad Confessarii pedes provolvitur. Eum interrogat Confessarius, an statim post commissum peccatum contritionis actum eliciuerit? Cum negative respondisset, propterea de novo peccato mortali arguitur. Postulat subinde Pater spiritualis, an saltem intra hebdomadam contritus fuerit? Respondet pœnitens, se huc usque pœnitentiam distulisse. « Pessime egisti, ait Confessarius; sic enim peccata mortalia multiplicasti, siquidem toties peccasti graviter quoties ad statum animæ attendens, seu de peccato tuo recordans, actum perfectæ contritionis elicere omisisti. »

HINC :

QUER. 1^o *An sit obligatio gravis eliciendi actum contritionis statim post peccatum mortale patratum?*

2^o *Quænam dilatio peccatum grave inducat?*

3^o *An requiratur votum explicitum confessionis ad remissionem mortalium extra Sacramentum?*

SOLUTIO :

398. — *R. ad 1^m Quæst. Neg. probabilis*, quia præceptum contritionis est affirmativum, seu est obligatio agendi pœnitentiam. Ergo non obligat singulis momentis; ergo non statim urget post patratum peccatum: secus enim peccata multiplicarentur pro numero momentorum dilationis, seu quoties peccator ad obligationem pœnitendi advertit, quod sensui communi fidelium et praxi Confessariorum adversatur. *S. Lig. n. 437. — Medina. — Navarrus. — Sylvius. — Billuart. — Pontas, etc., contra S. Anton. — Collet, etc.*

399. — *R. ad 2^m Quæst. Probabilis* grave est differre actum contritionis, patrato peccato, ultra mensem, quia videtur adesse obligatio gravis eliciendi actum Caritatis semel in mense; actus autem Caritatis absque actu contritionis elici nequit. In praxi vero multi, imo plerique peccatores, ab illo peccato dilatae pœnitentiæ ob ignorantiam, vel inadvertentiam excusantur. *S. Lig. n. 437. — Comp. n. 444.*

400. — *R. ad 3^m Quæst. Neg.* cum sententia communi, quia sufficit ad remissionem ut quis jungatur cum Deo per contritionem perfectam; porro fieri potest aliquando ut peccator talem actum perfectæ contritionis eliciat, quin de confessione cogitet: ergo... *S. Lig. ut probabilis, n. 437. — V. Comp. n. 455.*

CASUS II.

CONTRITIO IN SACRAMENTO 1^o.

CLAUDINUS, bonus senex, a Confessario interrogatus quomodo actum contritionis de peccatis eliciat, respondet: « Sic dico: diligo te, Deus meus, super omnia, quia summe bonus es; parce, Deus meus, parce peccatis meis. » Confessarius, audita responsione, anxietate quidem laborat circa valorem hujus contritionis. Attamen, putans esse scrupulum, CLAUDINUM absolvit.

HINC :

QUER. 1^o *Quænam contritio requiratur in Sacramento Pœnitentiæ?*

2^o *An fuerit valida contritio CLAUDINI?*

3^o *Quomodo pœnitentes rudes sint ad contritionem excitandi?*

SOLUTIO :

401. — *R. ad 1^m Quæst.* Contritio requisita in Sacramento Pœnitentiæ, talis esse debet qualis in ejus definitione exprimitur, siquidem definitio ab ipso *Conc. Trid.* traditur. Hinc debet esse:

1^o *Dolor animi*, quia dolor ille est essentialis in affectu rationali seu in voluntate; dolor enim in appetitu sensitivo, licet laudabilis, si a voluntate imperetur, non est necessarius, imo sæpe impossibilis, cum a nobis non semper pendeat.

2^o *Detestatio* seu *odium peccati* efficiens, ut pœnitens omnino vellet se non peccasse. Hæc detestatio verum animi dolorem arguit, et in ipsa præcipue ratio contritionis consistit.

3^o *De peccato commisso*, non vero de sola pœna peccati, quia contritio veram voluntatis mutationem, seu veram cordis conversionem omnino importat; secus enim contritio indirecte tantum peccatum afficeret.

4^o *Cum proposito non peccandi de cætero*, quia nemo dolere potest ex eo quod aliquid fecerit, nisi sincere ex intimo corde proponat se id non amplius facturum esse; secus enim sibi contradiceret.

402. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o Non esset valida, si attenderetur tantum ad hæc verba: *Deus meus, diligo te super omnia, quia es summe bonus.* Ratio est, quia hæc proferendo CLAUDINUS fecit quidem actum amoris, non vero doloris. Atqui in Sacramento Pœnitentiæ poni debet a pœnitente doloris actus *verus et formalis*; Caritas enim perfecta, licet sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, non sufficit in Sacramento, ut ejus materiam constituat, nec proinde ut illud validum efficiat. Constat ex definitione contritionis, atque ex doctrina *Conc. Trid.* Ergo con-

tritio in Sacramento Pœnitentiæ debet esse *formalis*, nec sufficit ut *implicite* in actu Caritatis contineatur. *Voit*, n. 491. — *Concina*, c. 9, n. 6. — *Reuter*, n. 247. — *Suarez*, etc.

2° Valida tamen videtur contritio *CLAUDINI*, si attendatur ad verba quæ subjunxit, scilicet : *parce peccatis meis*; etenim in praxi, si quis eliciat vere actum Caritatis perfectæ, memor peccatorum, censi debet simul elicere actum contritionis formalis : est enim moraliter impossibile ut quis memor peccatorum amet Deum super omnia, quin sua peccata *formaliter* detestetur, quatenus Deo summe dilecto opposita. *Reuter*, *ibid.*

Attamen in casu nostro *CLAUDINUS* sedulo interrogari debet a Confessario, ut hic sciat utrum revera de dolore peccatorum cogitaverit, aut protulerit meram formulam cujus sensum forte non satis callebat. Insuper, debuit Confessarius pœnitentem de modo eliciendi actum contritionis ante confessionem edocere.

403. — *R. ad 3^m Quæ.* Cum tales pœnitentes non soleant duci nisi motivis naturalibus et sensibilibus, eo ipso per motiva naturalia, velut magis sensibilia, primo inducendi sunt, sensimque magis disponendi et elevandi ad motiva supernaturalia apprehendenda, v. g. : *Doles de jactura pecuniæ, animalis, etc., et de jactura propriæ animæ non dolebis? Doles de separatione parentum morte peremptorum, et æternam separationem ab ipsis et præsertim a Deo, cujus est infinita erga te bonitas non reformidabis?* etc., etc.

404. — Hoc proponit *P. Elbel*, n. 72 : « Dicit, carissime, numquid « non audisti peccatores post mortem gravissime puniri in inferno, vel in « purgatorio? et quid ibi patiuntur? nonne pœnam ignis? Tunc posses « sufferre ignem, vel ardorem unius duntaxat candelæ? Certo non. « Quanto minus ergo poteris cum illis ardoribus sempiternis habitare? « numquid ergo jam detestaris et deinceps fugies peccata quibus offenditur Deus, qui adeo severe ea punit? etc. »

CASUS III.

CONTRITIO IN SACRAMENTO 2°.

ALBERTUS, peracta confessione, interrogatur a Confessario quonam motivo ad dolendum de peccatis moveatur. Respondet pœnitens : « Doleo « de peccatis, quia timeo ne Deus me puniat in hac vita ærumnis, vel « morte subitanea, et post mortem æternis cruciatibus. — Numquid, mi « bone, ait Confessarius, eodem modo doluisti de peccatis in antecessum, « quando ad confitendum accedebas? » Affirmat *ALBERTUS*. Quapropter judicat Confessarius invalidas fuisse illius confessiones, utpote amore divino destitutas et solo timore peractas. Quare jubet illum discedere absque absolutione, et se parare ad confessionem generalem totius vitæ instituendam.

HINC :

QUÆR. 1° *An attritio sufficiat?*

QUÆR. 2° *An, vel qualis amor in ea requiratur?*

3° *An dolor ob pœnas temporales sufficiat?*

4° *Quid de casu?*

SOLUTIO :

405. — *R. ad 1^m Quæ.* Attritio sufficit, nec requiritur contritio perfecta ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ. Ratio est : 1° quia attritio est vera conversio ad Deum, et vera aversio a peccato, et proinde gaudet omnibus conditionibus ad verum dolorem in definitione requisitis; 2° quia certum est peccata interdum remitti per Sacramentum Pœnitentiæ : ad hoc enim a Christo institutum est, et ab ipso traditæ sunt Apostolis et eorum successoribus, seu Ecclesiæ Ministris, claves regni cœlorum; atqui peccata nunquam per Sacramentum delerentur, si contritio perfecta requireretur : pœnitens enim semper ad Sacramentum accederet justificatus, cum contritio perfecta semper justificet *per se* extra Sacramentum; et proinde nudum ministerium exerceret Sacerdos, quod a *Conc. Trid.* damnatum est. Eruitur etiam ex verbis *Conc. Trid. sess. 14, c. 4*, ubi dicit *attritionem disponere ad justificationem in Sacramento*.

406. — *R. ad 2^m Quæ.* Requiritur in attritione initium amoris, ut constat ex *Trid. Conc. sess. 6, c. 6*, ubi dicit de illis qui se disponunt ad justificationem : *Illum (Deum) tanquam fontem omnis justitiæ diligere incipiunt*; sed in omni attritione exorta ex motivo supernaturali necessario includitur ille amor inchoativus, quia non potest esse supernaturalis quin ad Deum impellat : non requiritur autem initium amoris, qui sit aliquis gradus, etiam remissus, Caritatis perfectæ. *S. Lig. n. 440*, ubi dicit esse *moraliter certum*.

407. — *R. ad 3^m Quæ.* *Affirm. probabilius*, modo motivum sit vere supernaturale. Ratio est, quia in hoc metu omnes conditiones veræ attritionis esse possunt; sed cum non omnes de hoc conveniant, in praxi sententia opposita, ut tutior, tenenda est. *S. Lig. n. 443*.

408. — *R. ad 4^m Quæ.* Plura in agendi ratione Confessarii reprehendenda sunt : 1° Multo nimis præcipitanter judicavit insufficientem fuisse *ALBERTI* attritionem ex metu gehennæ elicitam; bene potuit enim pœnitens illo motivo supernaturali impulsus vere dolere, et sufficientem concipere attritionem in ordine ad justificationem in Sacramento obtinendam : debuisset igitur Confessarius, antequam pronuntiaret confessiones fuisse invalidas, diligenter inquirere utrum attritio *ALBERTI* fuerit *serviliter servilis*, aut *servilis* tantum. In hoc ultimo casu confessiones iterandæ non erant, cum validæ essent, ut patet ex dictis.

2° Imprudenter etiam statim declaravit Confessarius, præfatas confessiones fuisse invalidas ratione attritionis ex metu pœnarum temporalium elicite. Ratio est, quia, ut dictum est, talis attritio probabiliter valida est, si ex motivo supernaturali habita fuerit; licet autem in praxi tutius sit dolorem excitare ex motivo pœnarum post mortem subeundarum, attamen, post factum, de obligatione iterandi confessiones minime constat : ergo pœnitens ad illud onus subeundum non est obligandus.

CASUS IV.

CONTRITIO IN SACRAMENTO 3°.

ELEONORA a pluribus annis ad Sacramentum Pœnitentiæ accedens, sic agere solet: 1° Die sabbati sub nocte examen conscientie instituit, et de omnibus peccatis sincere dolet. Die autem Dominica, summo mane, confessionem peragit quin novum contritionis actum elicendum curet, licet quandoque aperiat peccatum mortale quod memoriæ in examine pridie non occurrerat. 2° Quondam, cum in peccatum lethale lapsa fuisset, statim de eo se conterit, sine ordine tamen ad confessionem. Post tres vel quatuor horas pergit ad Ecclesiam ut oret. Cernens vero Parochum e sede confessionali exeuntem, ei obviam occurrit, et statim confitetur absque novo contritionis actu. 3° Aliquando, accepta absolutione, meminit peccati alicujus quod antea memoriæ non occurrerat, illud Confessario aperit, et de illo absolvitur quin iterum se conterat.

HINC :

QUER. 1° Quando eliciendus sit actus doloris ratione Sacramenti?

2° Quid sentiendum de singulis in casu positus?

3° An ELEONORA confessiones iterare debeat?

SOLUTIO :

409. — R. ad 1^m Quæ. Actus contritionis elici debet ante confessionem dum peragitur præparatio proxima ad eam faciendam, saltem *præcise loquendo*; si multo ante efformatus fuerit, tunc iterari debet, ut sit certo validus, seu ut, virtualiter saltem, in valorem Sacramenti influat. Non requiritur absolute ad valorem Sacramenti, juxta communem sententiam, ut fiat ante confessionem, sed sufficit ut absolutionem præcedat, seu ut quis sit vere contritus dum absolvitur; sed ille qui voluntarie actum contritionis remitteret ad ultimum istud tempus, magno se exponeret periculo recipiendi absolutionem deficiente dolore requisito. *S. Lig. n. 445. — V. Comp. n. 447.*

410. — R. ad 2^m Quæ. 1° Probabilius fuit *valida* contritio ELEONORÆ pridie confessionis elicite, quia *virtualiter* perseverare videtur, præsertim si magnam habuit intensitatem, nec obstat quod mulier peccati gravis oblita fuerit, quia peccatum illud in contritione generali de cæteris implicite continebatur; adhortanda est tamen ELEONORA, ut in posterum actum contritionis eliciat immediate ante confessionem.

2° Probabilius fuit etiam *valida* contritio ELEONORÆ, licet non fuerit elicita in ordine ad Sacramentum. Ratio est, quia ex *Trid.* illa attritio dicitur *disponere ad justificationem* in Sacramento, quæ voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ; porro omnia hæc in casu nostro verificantur: ergo... Insuper, licet dolor non fuerit ordinatus ad confessionem relatione antecedenti, ordinatur tamen relatione consequenti, eo quod adhuc verificatur dolorem patefieri per confessionem. Attamen opposita

sententia non caret sua probabilitate, et ideo in praxi contritio ante confessionem ad tutius renovanda est. *S. Lig. n. 447.*

411. — Adhuc *probabilius* in hoc tertio casu valida fuit contritio mulieris. Etenim minime erat necessarium novum actum contritionis elicere, ad novam absolutionem obtinendam, quia certo perseverabat prior contritio, quæ, ut universalis, extendebatur ad omnia peccata, etiam ex oblivione ommissa. Adde quod non requiritur ut contritio *explicite* ordinetur ad Sacramentum, ut supra dictum est. Insuper videtur manifestari dolor explicitus in actu ipso peccatum illud accusandi. *Ita communiter.* Cum vero plures Theologi contradicant, licet in levi fundamento innixi, in praxi opposita sententia, *ut tutior*, eligenda est. *V. Comp. n. 448.*

412. — R. ad 3^m Quæ. Minime est inquietanda ELEONORA ratione defectus contritionis, quæ probabilius in omni casu fuit sufficiens ad Sacramenti valorem. Ante confessionem tutior quidem sententia sequenda est, quia agitur de valore Sacramenti certiore reddendo; facta autem confessione, non agitur amplius nisi de præcepto confessionis, cui probabilius satisfactum est. Hinc bene potest applicari hæc regula: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.*

CASUS V.

DOLORIS INTENSITAS.

CLODOMIRA, matrona pia, de dolore ad confessionem requisito valde anxia conqueritur coram Sacerdote: 1° quod intensiorem dolorem de morte filii sentiat, quam de peccatis suis; ac proinde dolet quod non doleat satis de tot et tantis peccatis, quibus divinam Majestatem offendit; 2° quod non sibi videatur parata ad omnia mala sufferenda, v. g. ut viva comburatur, potius quam peccatum committere; 3° quod magis abhorreat a monstro, a bellua feroci, vel a publica calamitate, v. g. incendio, peste, strage, quam a peccato. Quapropter putat se nunquam validas confessiones fecisse, et generalem totius vitæ confessionem peragere postulat.

HINC :

QUER. 1° An requiratur aliqua certa intensitas et duratio doloris?

2° An satis sit, si penitens doleat se non satis dolere?

3° An statim credendum sit penitenti se accusanti quod sufficientem dolorem non habuerit? An vice versa?

4° Quid de querimoniis CLODOMIRÆ dicendum? et quomodo cum ea agendum?

SOLUTIO :

413. — R. ad 1^m Quæ. 1° Ad valorem contritionis non requiritur certa intensitas doloris, sicut ad peccandum non requiritur certa intensitas voluntatis: intensitas enim est aliquid mere accidentale; siquidem gradus doloris, vel conatus major vel minor ad essentiam contritionis non pertinet; præterea innumeris anxietatibus et perplexitatibus ansam præberet.

2° Neque magis requiritur duratio in contritione, seu longum tempus; sed per se sufficit minimum, seu unicum instans. Sufficit enim ut peccator a peccato avertatur, et ad Deum convertatur; atqui hoc in unico instanti fieri potest, sicut in unico instanti a Deo per peccatum averti potest. Tutius tamen est actum contritionis intensiorem et productiorem elicere. *S. Lig. n. 433. V. Comp. n. 450.*

414. — *R. ad 2^m Quæ. Neg. perse* : ratio est, quia ad valorem Sacramenti requiritur dolor de peccatis; at si dolorem non sentias, hoc peccatum non est, nec contritionem supplere potest. Attamen in praxi ordinariè pœnitentes qui dolent ex eo quod non satis doleant, verum concipiunt dolorem de peccatis, et vere ea detestantur; conqueruntur enim ex eo quod dolorem sensibilem, vel intensum non experiantur. Plerumque igitur circa dolorem inquietandi non sunt, sed ad fiduciam adhortandi. *Elbel, n. 80.*

415. — *R. ad 3^m Quæ. 1^o Quoad 1^m partem, Neg.* Sequitur ex dictis; non pauci enim reperiuntur pœnitentes timorati, vel scrupulosi, aut pusillanimes, qui anxietate frequenti laborant circa dolorem de peccatis et recantant se contritione carere, dum sincere a peccatis abhorrent et Deum vere amant. Animus igitur eis faciendus est, sed ad circumstantias varias pœnitentium et confessionum est sedulo attendendum.

2° *Quoad 2^m partem*, seu an vice versa, etc., quæstio difficultate non caret, præsertim si agatur de pueris, de rudibus, vel de iis qui instructione christiana ex magna parte carent, licet in aliis scientiis versati sint. Attamen generatim credendum est pœnitenti asserenti se dolere, postquam sedulo a Confessario ad dolorem excitatus fuerit, si adhortatione indigere videatur. Iterum ad circumstantias pœnitentium attendere debes, sed non statim interrogandi sunt an doleant. Multi enim, præsertim rudiores prompte respondebunt: *Ita, Pater*. Sed sæpe nesciunt quidem cur dolendum sit. Quot confessiones, defectu doloris, sacrilegæ, aut saltem nullæ evadunt! Caute igitur, Confessarie, caute tibi procedendum est cum pœnitentibus qui raro confitentur, præsertim cum rudibus et pueris.

416. — *R. ad 4^m Quæ.* CLDOMIRA jubenda est bono esse animo, et anxietates circa dolorem sufficientem de peccatis procul mittere. Etenim:

1° Concludere nequit se vero dolore carere, ex eo quod dolorem intensiorem experta fuerit de morte filii quam de offensa Dei; quia homines, sensibus præditi, vividius afficiuntur iis quæ naturam et sensus movent.

2° Neque rationabiliter judicat se vera contritione carere, ex eo quod omnia martyrum tormenta sufferre nolit. Nam illa persuasio potius in imaginatione, quam in voluntate consistit. Insuper hujusmodi tormenta Deus ab ea minime requirit, nec proinde gratiam ad ea, bona animi dispositione acceptanda, concedit. Imprudenter igitur, o CLDOMIRA! hæc et alia similia in mente volvis! Quid enim a te petit Deus in præsentibus? Nihil aliud, nisi ut sis parata ad vitanda ea omnia quæ hic et nunc te in peccatum inducere possunt, non obstante quocumque præsentis incommodo. Si unquam velit Deus te glorioso martyrum cœtui adnumerare, ingruente v. g. dira perversorum hominum persecutione, tibi

sane uberrimas concedet gratias, quibus tolerare valeas ea quæ nunc intolerabilia tibi videntur. Abjice igitur, o CLDOMIRA! abjice inanes curas atque periculosa phantasmata procul mitte.

3° Neque valet ultima ratio deducta ex eo quod CLDOMIRA videatur abhorre magis a monstro vel bellua feroci quam a peccato, quia phantasia et sensibilitas naturalis id efficiunt, ut majori horrore terreni mali, magnæ calamitatis v. g., vel diræ mortis, quam peccati sensibilibus corripiamur. Sed hoc nihil probat, ut supra dictum est.

CASUS VI.

PROPOSITUM 1^o.

COELESTINUS, confessionem peragendo, inter alia declarat quod in ultima confessione, dum intentus fuisset dolori eliciendo, minime de proposito non peccandi de cætero cogitaverit, sicque absolutus fuerit; quapropter circa hanc confessionem magna anxietate laborat. Confessarius, eo audito, statuit confessionem reapse invalidam fuisse, ideoque iterandam esse.

HINC :

QUÆR. 1° *An requiratur propositum explicitum in confessione?*

2° *An iteranda sit confessio, si pœnitens eo caruerit?*

3° *Quid de casu?*

SOLUTIO :

417. — *R. ad 1^m Quæ. Neg.* saltem *probabilius*, quia propositum necessario includitur in contritione, si vera sit. Ergo propositum implicitum sufficere debet. *Ita communiter. Affirmant* tamen plures, quia *Conc. Trid.*, in definitione contritionis, ait: *cum proposito non peccandi de cætero*; ex quo arguitur propositum debere esse necessario *explicitum*. In praxi tutior pars sequenda est: attamen ille qui de proposito *explicito* non cogitavit, post factum non est inquietandus.

418. — *R. ad 2^m Quæ. Neg.*, quia confessio fuit valida, saltem *probabilius*; confessio autem *probabilius* valida minime iterari debet. Etenim non agitur amplius de valore Sacramenti, cum jam collatum fuerit, sed de mera obligatione accusandi peccata; atqui *probabilius* huic obligationi jam satisfactum est: ergo non est iterum imponenda hæc obligatio, cum probari nequeat.

419. — *R. ad 3^m Quæ.* COELESTINUS validam confessionem peregit, saltem multo *probabilius*, licet propositum ejus explicitum non fuerit. Proinde minime confessionem repetere debet, quia de obligatione repetendi non constat. Ergo erravit Confessarius declarando confessionem iterandam esse.

CASUS VII.

PROPOSITUM 2°.

CORNELIUS, consuetudine peccati turpis laborans, a Confessario interrogatur utrum firmiter proponat hæc pravæ consuetudinis peccata non amplius committere. « Propono quidem, ait pœnitens, sed prævideo me certo « propositum hoc violaturum esse. Alias enim similiter proposui, et semper « infeliciter sum relapsus. Tanta est in me vis consuetudinis, ut me alliciat « et pertrahat. — Sed proponisne a lapsu præcavere? reponit Confessarius. « — Ita, Pater, ait CORNELIUS, sed sum certus de futuro relapsu. » Confessarius, hujusmodi responsis intricatus, nescit an pœnitentem hunc absolvere possit. Tandem eum absolvere statuit.

HINC :

QUÆR. 1° *An censeatur firmum propositum habere, qui dicit se esse certum de relapsu futuro?*

2° *Quid dicendum de consuetudinario qui cito post absolutionem in peccata consueta relabatur?*

3° *Quid de casu?*

SOLUTIO :

420. — *R. ad 1^m Quæs. Neg.*, quia, practice loquendo, ille qui vult sincere peccatum vitare, ab illo abstinere potest. Ergo, si pœnitens certus sit se relapsurum esse, hoc infirmitatem propositi arguit. Etenim, si valida sit peccandi consuetudo, nonne multo validior est divina gratia, quæ volenti et cupienti nunquam denegatur? Nonne consuetudinarius, licet infirmissimus, dicere potest cum Apostolo : *Omnia possum in eo qui me confortat?* Philip. 4. 13. — *Non ego, sed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15. 10. — *Cum infirmor, tunc potens sum.* 2. Cor. 12. 10. *S. Lig. n. 451.*

Attamen non deberet censi indispositus ille qui ex præterita fragilitate lapsum timeret, sed firmiter statueret peccatum vitare. Timeat quidem, sed caute incedat, oret et super se ipsum invigilet: *Beatus enim homo qui semper est pavidus.* Prov. 28. 14. — *S. Lig. ibid.*

421. — *R. ad 2^m Quæs.* Præsumptio stare debet contra ipsum. Hinc præsumendum est eum fuisse indispositum, seu firmo proposito caruisse in ultima confessione, et proinde illa confessio iteranda est, utpote invalida. Ratio est, quia peccator qui cito ac facile relabatur, nullo adhibito conatu ad resistendum tentationi, non censetur firmiter statuisse non amplius peccare. *V. Comp. n. 513.*

422. — *R. ad 3^m Quæs.* CORNELIUS videtur invalidam confessionem fecisse, quia, ex dictis, qui credit se certo relapsurum esse arguit eo ipso se firmitate propositi caruisse. Ergo male egit Confessarius hujusmodi pœnitentem absolvendo; nisi in eo potius timorem relapsus quam defectum propositi agnosceret, ut supra dictum est.

CASUS

DE CONFESSIOE

SEU

De obligatione confessionis, de ejus integritate, sinceritate; de peccatis dubiis; de circumstantiis peccatorum; de manifestatione complicitis; de peccatis ex oblivione omissis; de confessione per interpretem; de confessione moribundorum sensibus carentium; de examine conscientiæ, et de confessione repetenda, necnon de confessione generali.

CASUS I.

OBLIGATIO CONFSSIONIS

In hæretico ad Fidem converso.

CHRYSANTUS, ab hæresi lutherana ad Fidem catholicam conversus, ob dubium in sua secta susceptum Baptismum, sub conditione rebaptizandus est. Hoc quidem summopere exoptat, sed peccatorum confessionem quam maxime reformidat. Est quidem animo dispositus ad futura peccata rite accusanda; verum a præteritis declarandis excusari vellet. Anxietate pressus, interrogat ROGERIUM Theologum. Obligationem confitendi urget ille : 1° quia hoc exigit obligatio tutiorem partem amplectendi, ubi agitur de re ad salutem necessaria, seu de peccatorum remissione; 2° quia statuit Christus Dominus nullum peccatum remittendum in lege nova, nisi per Pœnitentiæ Sacramentum; 3° quia sic fert generalis consuetudo; 4° quia secus periculum foret abusus, si neo-conversi ad confitendum non tenerentur; difficulter enim legi confessionis postea subjicerentur. *Ad tutius* CHRYSANTUS interrogat HILARIUM, alium Theologum. Hic autem negat prorsus dari in pari casu ullam obligationem confitendi, siquidem, inquit, lex certo obligans ostendi nequit. His hinc et inde auditis, CHRYSANTUS in perplexitate permanet.

HINC :

QUÆR. 1° *An reapse hæreticus ad Fidem conversus et sub conditione baptizandus, confiteri teneatur?*

2° *An confessio, si fiat, Baptismo præmittenda sit? aut, vice versa, Baptismus sit præmittendus?*

3° *Si confessio sit necessaria, an integra esse debeat, et quomodo pœnitens sit absolvendus?*